



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. VI. De Sanctis ordinis Minorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

cant, *Coletana & Capucina.*

E contra *Vrbaniſtica* dicuntur, quæ *Vrbani* Papæ mitigationem admiferunt, & à vulgo *Diuites Clariffæ* nunc vocantur, quòd annuos redditus habeant.

Tertius Ordo an. 1221. inchoatus completitur viros & feminas, domi fuæ iuxta præſcriptum tertiæ Regulæ viuentes. Completitur quoque Religioſos votis monaſticis adſcriptos, & tertiam iſtam Regulam ſeruantes.

CAPVT VI.

De Sanctis ordinis Minorum.

Inter Sanctos ordinis Minorum, poſt *S. Franciſcum*, eminent *S. Bouauentura* Cardinalis & *Episcopus Tuſculanus*, *S. Berardus* martyr cum *focijs*, *S. Antonius Paduanus*, *Sanctus Bernardinus*, *Sanctus Ludouicus* *Episcopus Tolofanus*, *S. Didacus*, *S. Ludouicus Rex*, *S. Elzearius*, *S. Iuo*, & alij, quorum vitas in vnum volumen redactas *Antuerpiæ* publicandas *R. P. Henricus Sedulius* curauit. Ceterum operæ pretium me facturum putauit, ſi ex *Catalogo Sanctorum Italiae* per *Philippum Ferrarium* edito viros illuſtres aliquot ſubnecterem.

*De S. Guidone Confessore Cortonensi
in Italia.*

12. Junij. **G**Vido Cortonæ in Etruria pijs parentibus natus, à puero pietatem & castitatem coluit. Cùm S. Franciscus in eam urbem venisset, sic eius prædicatione commotus est, vt relictis omnibus, in eius societatem adscribi voluerit, seque in locum solitarium (qui Celule dicitur) receperit: vbi humili domicilio piorum elemosynis exstructo, cum aliquot alijs, ieiunijs, orationibus, alijsque pijs exercitationibus vitam duxit. Sacris initiatus ordinibus, Assisij prædicationis officium à B. Francisco sibi iniunctum exercere cepit. Porrò in vrbe Cortonensi doctrina, sanctitate, & miraculis præcipuè claruit, quoad sexagenarius, die mortis triduo antè præuiso, sacris munitus, migravit ad Christum magno populi concursu ibidem tumulatus. Cùm autem Aretinis Cortonam inuadentibus & diripientibus, sacrista caput B. Guidonis lintheo inuolutum in puteum occultandi gratia dimisisset, triennio post cùm vrbs & Ecclesia ab Aretinis vastatæ reficerentur, ingens è puteo illo splendor egrediebatur. Quod cùm triduo perdurasset, clerum & populum ad inquirendum quid hoc esset, impulit. Quare indicta solenni processione, ad puteum accedentes, aquamque haurientes, cum illa caput

Gui

Guidonis inuolutum, minimè madefactum, cum scripto sui nominis extrahunt. Cuius inuentionis festiuitas prid. Idus Iunij magna populi deuotione celebratur.

Ita Ferrarius in Catalogo SS. Italia, qui addit, de ipso Officium Ecclesiasticum recitari ex indulto Gregorij XIII. Pontificis.

De B. Gerardo Ligure, cuius sacrum corpus quiescit Panormi in Sicilia.

Valentia in Liguria (quod olim forum Fuluij appellatum est) Beati Gerardi Ordinis Minorum viget memoria. Is in eo oppido natus, annos 14. contra propinquorum voluntatem, vt vxorem acciperet, hortantium, peregrinatus, in solitudine prope Romanam aliquamdiu Deo mira abstinentia inseruiit. Quod & apud Neapolim cum fecisset, in Siciliam profectus, ibi in monasterio Eryce usque ad annum ætatis vndecimum solitarius vixit. Inde in Ordinem Minorum cooptatus, mirum in modum in obedientia, humilitate & ceteris virtutibus profecit. Qui Randacij culinæ præpositus, cum orationis dulcedini intentus, die Resurrectionis Dominicæ cibos fratribus parare oblitus esset, ab Angelis prandium paratum repertum fuit, cum is excusans, Dominum prouisurum dixisset. Panormi vitream ampullam à nouitio Missæ inseruienti perfractam restituit.

Quod

Quod etiam præstitit, cum coram Guardia-
no cyathus, quo ægrotis potum ministrabat,
in terram sibi elapsus, contractus fuisset, &
cum puer amphoram vino plenam fregisset.
S. Ludouicum Episcopum Tolosanum mi-
rificè coluit : ad cuius inuocationem mira
quædam circa ægrotos operatus est. Spiritu
Prophético etiam clarus, multa quæ sic eue-
nere prædixit. In eius obitu cum de more
campanæ pulsarentur, ruptis funibus soni-
tum edere non cessarunt, & ex illius corpore
suauissimus odor efflabatur, tota penè ciui-
tate ad rei nouitatē confluyente, & aliquot æ-
grotis ac corpore læsis ad sacri corporis con-
tactum mirabiliter sanatis. Obijt Panormi
anno salutis humanæ millesimo trecentesi-
mo quadragesimo quinto, in sacello Sancti
Ludouici Episcopi (in quo orare solitus
erat) sepultus, innumeris per varia tempo-
ra dæmoniacis ad eius tumulum libera-
tis.

1345.

*Ita Ferrarius libro citato, qui addit i-
psum non modò Panormi, sed etiam Va-
lentiæ apud Ligures, in magno hono-
re esse, etsi nondum Officio
Ecclesiastico co-
latur.*

De

*De Beato Iacobo Piceno, Neapoli
quiescente.*

Iacobus in Piceno, in opido Montis Brandoni natus, & Minorum ordinem ingressus, Euangelij prædicationi operam dedit. 28. Nov.
Is cum doctrina vitæ sanctitate coniuncta, à Pontifice Romano in diuersas orbis partes ad prædicandum mittitur, donec à Pio II. Pontifice Maximo, vt sibi in cogendo aduersus Turcas exercitu adiumento esset, reuocatur. Falsò apud Romanum Pontificem accusatus, quòd de sanguine Domini nostri Iesu Christi inter prædicandum malè sentiret, miraculo innocentiam defendit. Nam omnes illius aduersarij eadem nocte interierunt. Claruit spiritù Prophetico ac diuersis generibus linguarum. Neapoli, quòd à Ferdinando Rege vocatus fuerat, ægrotus, breui migravit è vita IV. Kalend. Decembris, anno salutis nostræ millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto: cuius corpus in Ecclesia S. 1476.
Mariæ Nouæ conditum adhuc integrum asseruatur.

Ita Ferrarius, qui addit Leonem X. Papam indulgisse, vt ipsius Commemoratio in propria Basilica fiat. De hoc sancto viro existat insigne Epigramma Iacobi Sannazarij.

De

De B. Ioanne Capistrano.

23. Oct. **I**oannes, Capistrani Aprutij castellone-
 tus, Perusiae litteris & legibus operam de-
 dit. Factus Doctor, Iudex, & vxoratus, a-
 liquando Perusia egressus in manus exulum
 seu praedonum incidit, in vinculaque conij-
 citur. Cumque preces Deo, vt liberaretur,
 obtulisset, quidam habitu Minorum indu-
 tus (qui S. Franciscus fuisse creditur) ei per-
 visum ad idem institutum adhortans visus
 est. Expergefactus se coronam clericalem
 more religioso factam habere comperit. Pe-
 rusiam liber rediens, triginta & octo annos
 natus vestem Minorum induit, mireque ce-
 pit in humilitate, paupertate, abstinentia, &
 obedientia proficere. Nam adhuc nouitius, a
 magistro pannum ex lebete ebulliente extra-
 here iussus, illum manibus in lebetem im-
 missis absque omni laesione extraxit. Profes-
 sus, magna audientium utilitate praedicare
 coepit, & daemones ab obsessis eijcere, alijs-
 que miraculis coruscare; cum apud Tusculum
 puerum mortuum suscitasse, & apud Aquila-
 lam quendam, qui se ex desperatione per fe-
 nestram proiecerat, a morte liberasse, & Pe-
 dum super pallio, cum portitores ipsum no-
 luissent recipere, traiecisse legatur. Multa pro
 Deo Ecclesia sustinuit incommoda, Martino
 V. & Eugenio IV. Pontifice maximo, in Pa-
 noniam

noniam & Daciam missus, ibi multos ad fidem Catholicam conuertit. In Germaniam quoque missus, admiranda in Austria, Bohemia & alijs locis fecit. Ratisponæ inter concionandum detrahentibus & irridentibus diuinam prædixit ultionem, qui sequenti nocte omnes miserè interierunt. Eo Cracouia prædicante, sacra hostia à Iudæis percussa, sanguinem emisit; quod scelus eius studio detectum, non mansit inultum. Profectus in Hungariam, Christianis insignem de Turcis victoriam precibus suis impetrauit: qui in Italiam redire cogitans, apud Iuliacum in Carinthia, febre correptus, decimo Kalendar. Nouembris, anno salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo animam ^{1450.} Deo reddidit, multis post mortem miraculis clarus; cum non modò morbo oppressos, & corpore vitiatos sanitati, sed etiam defunctos vitæ restituisse legatur.

Ita Ferrarius in Catalogo SS. Italia, qui addit ipsum Sulmone (in cuius diocesi est Capistranum) Officio coli Ecclesiastico, ex cõcellione Sedis Apostolicæ.

*De Beato Paschali Baylonio
Hispano.*

B. Paschalis Baylon fuit ex Discalceatis ordin. Minorum, regularis obseruantia, prouinciæ S. Ioannis Bapt. in regno Valentia,

P

tia,

tiæ, & obiit circa annum Christi 1598. multis claris miraculis. Sacrum eius corpus adseruatur in opido Villæ Regalis, in regno Valentiaë. Est autem beatificatus, seu inter Beatos relatus anno 1618. à Paulo V. Papa, petente Philippo III. Rege Catholico, & Francisco Sandoualio, Cardinale & Duce Lermæo. Diploma Pontificis sic habet:

Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. In sede Principis Apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, à Domino constituti, pijs fidelium votis, quibus virtutum Dominus in seruis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur oportunis. Sanè pro parte dilectorum filiorum, Ministri generalis, & aliorum superiorum, nec non fratrum ordinis Minorum Sancti Francisci de obseruantia, Discalceatorum nuncupatorum, Nobis nuper expositum fuit, quòd bonæ memoriæ Paschalis Baylon, eiusdem ordinis, dum vixit, professor, multis, & eximijs virtutum, gratiarum ac miraculorum donis à Domino illustratus fuit. Quapropter non solum vniuersus Ordo prædictus, sed etiam carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholico, ac dilectus filius noster Franciscus S. R. E. Cardinalis Lermæo nuncupatus, nec non totius regni

gni Valentiaë proceres , nobis humiliter supplicari fecerunt , vt donec canonizationis honorem , quem dicto Paschali Baylon ob eius excellentia merita aliquando diuina adspirante gratia habitum iri sperant, ab Apostolica sede impetrent , idem *Paschalis Baylon* Beatus vocari , ac de eodem Officium & Missa , vt infra , recitari possit . Quare nos , re prius per venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales sacris ritibus præpositos , quibus eam examinandam mandauimus , maturè discussa , de eorundem Cardinalium consilio , huiusmodi supplicationibus inclinati ; vt ipse bonæ memoriæ Paschalis Baylon in posterum Beatus nuncupari , atque de eo singulis annis die xviij. Maij , quo obdormiuit in Domino , à fratribus eiusdem ordinis , in regno Valentiaë commorantibus tamquam de Confessore non Pontifice , iuxta Rubricas Breuiarij , & Missalis Romani Officium recitari & Missa celebrari , nec non in Ecclesia fratrum eiusdem Ordinis , oppidi Villæ Regalis , in eodem regno Valentiaë existentis , vbi eius corpus requiescere asseritur , ab omnibus presbyteris , tam secularibus quàm regularibus , Missa , vt supra , similiter celebrari liberè & licitè possit & valeat, Apostolica auctoritate, tenore præsentium cōcedimus & indulgemus:

Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit, dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrarijs quibuscunq;. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub anulo Piscatoris die *xxix*. Octobris, *MD*. *xviii*. Pontificatus nostri an. decimoquarto. *Et infra erat signatum*, S. Card. S. Sufannæ.

De BB. Martyribus Gorcomiensibus.

Scripsit de ijs libellum sanè eruditum atque elegantem *Guilielmus Estius*, Doctor & Cancellarius Academiae Duacensis. Horum ossa ex Hollandia Bruxellam primum allata, ibidem multo cum honore adseruantur in templo Franciscanorum pro magna parte. Reliquæ partes in varijs monasterijs, vt Montensi, Cameracensi, Atheni, Niuelsenfi, & alijs decenter sunt collocatæ.

CAPVT VII.

De vitijs monasteriorum Franciscanorum in Belgio.

Anno